

DE SACERDOTIBUS CONCUBINARIIS AD MATRIMONIUM NON ADMITTENDIS

“Ut lex continentiae et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur”, can. 7 Concilii Lateranensis II anno 1139 celebrati ordinibus maioribus, omne tollendo dubium, vim nuptias irritandi addidit¹. Sacrosancta autem Tridentina Synodus (sess. XXIV de sacram. matrim., can. 9) anathematizavit quoscumque qui dixerint “clericos in sacris ordinibus constitutos... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica”². Nemo tamen ignorat cum obligationem castitatis servandae tum impedimentum ordinis maioris matrimonium dirimens lege dumtaxat humana clericis semet libero voluntatis actu in servitium Dei dicantibus impositum esse. Neque dogmate a SS. Tridentina Synodo promulgato statuitur quod a lege s. coelibatus dispensari omnino nequeat. Historia nihilominus testatur Episcopos nunquam, sacerdotes rarissime tantum ab hac Ecclesiae lege dispensationem obtinuisse. Ad sacerdotes quod attinet, praxis nunc ea est ut, deficiente plena vis metusque probatione in causis contra onera a vinculo s. ordinum manantia institutis, S. Congregatio de disciplina Sacramentorum quandoque Summo Pontifici consulat dispensationem ab oneribus, s. coelibatus lege haud exclusa, oratori “ad cautelam” elargiendam esse³. Reductio ad statum laicalem sive modo administrativo decreta, sive poena degradationis inflicta, liberationem a s. coelibatus lege minime secum fert (can. 213, § 2). Non desunt Auctores qui affirmant praeterea Sedem Apostolicam etiam recentioribus temporibus sacerdotes ab impedimento s. ordinis, citra mortis periculum quoque, dispensavisse sicubi solidis demonstratum fuerit argumentis quod mulier, quacum sacerdos de quo sermo matrimonium ecclesiasticum attentavisset, virum re vera sacerdotio auctum esse ignorasset⁴.

Perpetuus constansque Summorum Pontificum usus sacerdotes rarissime et ob causas specialissimas tantum, praemissa reductione ad

¹ C. 27, 1, 40. Cfr. etiam X. 3, 3, 1; Clem. 4, un., un.; Extrav. Io. 6, un.

² DENZINGER, N. 979.

³ J. M. DE LAHIDALGA, *La coacción en la ordenación sagrada* (Victoriae, 1960), pp. 346-348.—
F. P. SWEENEY, *The Reduction of Clerics to the Lay State* (Washingtonii, 1945), pp. 126 sq.

⁴ F. SCHOENSTEINER, *Grundriss des kirchlichen Eherechts*, ed. alt. (Vindobonae, 1937), p. 332.

statum laicalem, a coelibatu dispensandi inde a saec XIX iterum atque iterum reprehensionibus ansam praebat. Anno 1800 sacerdos quidam natione Britannus, *Geddes*, postea in suspensionem illapsus, in opusculo a se publici iuris facto institit ut Ecclesia sacerdotes matrimonium attentantes ad summum degradatione puniret, excommunicationi in eos decernendae supersederet, nihil de validitate invaliditateve huius generis matrimonii statueret⁵. In libro suo manuali Theologiae Moralis anno 1817 Monachii primum et anno 1834 Sulzbachii altera vice edito *J. M. Sailer*, Germanus, fieri postulavit ut Ecclesia sacerdotibus qui ex iustis gravibusque causis ad saecularia redire cuperent vota viam ad ineundum matrimonium aperiret⁶. Mox *J. B. de Hirscher*, Tubingiensis, in tractatu suo "De conditione Ecclesiae tempore praesentis" anno 1849 in lucem edito statimque ab Apostolica Sede damnato contendit ut sacerdotibus qui affirmarent salutem animarum suarum in statu clericali periclitari iisque qui fideli populo scandalo essent regressus ad statum laicalem, sublata pro ipsis s. coelibatus lege, patefieret⁷. Etiam tempore quo Concilium Vaticanum I praeparabatur quidam sperabant fore ut disciplina s. coelibatus mitigaretur at hae propositiones ne in consessibus praeliminaribus quidem in medium prolatae sunt⁸.

Tandem post immane bellum mundanum, annis 1918-1919 aliqui sacerdotes, spiritu saeculi magis quam orationis imbuti, in *Cechoslovachia* et in *Hungaria*, gravia Summorum Pontificum Gregorii XVI⁹ ac Pii IX¹⁰ verba hac super re facta parvi pendentes, pro abolenda s. coelibatus lege conciliabula celebrabant. Quibus Benedictus Pp. XV binis litteris apostolicis, ad archiepiscopum Pragensem¹¹ et ad Primatem Hungariae¹² datis, in mentem revocavit "Apostolicam Sedem de coelibatus lege abroganda vel temperanda nunquam fore consensusram", imo "nullam prorsus ab Apostolica Sede de sacerdotalis continentiae lege permitti posse quaestionem". In percelebri allocutione sua consistoriali idem Benedictus Pp. XV anno 1920 acerrimis reprehendit verbis quoscumque qui "asseverare non verentur, propensam Apostolicam Sedem esse ad legis de s. coelibatu severitatem mitigandam, ea lege solvendo qui ecclesiasticum ordinem deseruissent" et sollemniter

⁵ Citatur apud H. C. LEA, *History of Clerical Celibacy in the Christian Church* (ed. III reimpr., Novae Eboraci, 1957), p. 531.

⁶ J. M. SAILER, *Handbuch der christlichen Moral*, vol. III, § 245, cit. apud J. B. HIRSCHER, *Antwort an die Gegner meiner Schrift: "Die kirchlichen Zustände der Gegenwart"* (Tubingiae, 1850), p. 63.

⁷ J. B. HIRSCHER, *Die kirchlichen Zustände der Gegenwart* (Tubingiae, 1849), pp. 63 sq.

⁸ H. C. LEA, *op. cit.*, p. 550.

⁹ Litt. encycl. *Mirari vos*, 15 augusti 1832; Breve *Quo graviora*, 4 octobris 1833; Breve *Maximas inter*, eodem die. Cf. F. LAURIN, *Der Cölibat der Geistlichen nach canonicischem Rechte* (Vindobonae, 1880), p. 134.

¹⁰ Litt. encycl. *Qui pluribus*, 9 septembris 1846; Breve *Inter gravissimas*, 17 maii 1849; Breve *Multiplies inter*, 10 iunii 1851. Cf. F. LAURIN, *loc. cit.*

¹¹ *Acta Apostolicae Sedis*, XII (1920), p. 58.

¹² *Ibidem*, XI (1919), p. 123.

affirmateque denunciavit “fore numquam ut haec Apostolica Sedes sanctissimam eam maximeque salutarem legem coelibatus ecclesiastici aliqua ex parte extenuando mitiget, nedum aboleat”¹³.

Sed haec omnia, sive conamina sacerdotibus ab ordine apostatis dispensationem a s. coelibatu impetrandi frustrata sive Romanorum Pontificum enuntiationes sollemnes adversus huius generis tentaminum auctores prolatae, aliquibus nondum persuadere poterant supremam Auctoritatem ecclesiasticam ad abrogandum coelibatum sacerdotalem moveri omnino non posse. Conventionibus inter Sedem Apostolicam interque Italiam anno 1929 feliciter pactis, sacerdotes quidam qui per actum uti aiunt civilem matrimonium attentaverant, verentes ne praescripto Art. 5 Concordati cum Regno Italico initi¹⁴ vis retroactiva tribueretur ipsique muneribus saecularibus quibus fungebantur caderent, supplices ad B. Mussolini, tunc primum Italiae ministrum, direxerunt litteras efflagitantes ut sibi ab Apostolica Sede Facultas fieret matrimonium religiosum contrahendi¹⁵. At optatam haud obtinuerunt dispensationem. Quo non obstante, catholici quidam *Lipsienses* placitis lutheranismi aequae ac illis modernismi adhaerentes in libello ab ipsis anno 1937 publici iuris facto moxque in Indicem librorum prohibitorum inserto Superioribus ecclesiasticis exprobraverunt quod Ecclesia, quae ad modum ‘boni Pastoris’ nihil intentatum habere deberet dummodo ‘ovem errantem’ (cui sacerdotem matrimonio iunctum aequiparet) ad gregem reducat, aequo ferret animo sacerdotes qui matrimonium attentassent in excommunicatione perseverare vitaeque decedere¹⁶.

Nuperrime vero cl.mus *J. A. Abbo*, Americanus, optimam “De Romana Synodo” scribens disquisitionem¹⁷ possibilitatem sacerdotibus concubinariis succurrendi iterum revolvit. Haec ille cl.mus Vir ad Art. 35 statutorum synodalium¹⁸ exponere voluit: “Statutum istud spiritu Christi Boni Pastoris plenum considerantes omni qua par est reverentia speramus fore ut Joannes Pp. XXIII, exigentias iustitiae rationi-

¹³ *Ibidem*. XII (1920), pp. 586 sq.

¹⁴ A. MERCATI, *Raccolta di Concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le autorità civili* (Romae, 1964), vol. alt., p. 93.

¹⁵ M. MISSIROLI, *Date a Cesare — La politica religiosa di Mussolini — con documenti inediti* (Romae, 1929), pp. 385 sq. cit. apud: C. FALCONI, *Gli spretati* (Florentiae, 1958), p. 252.

¹⁶ G. MENSCHING (ed.) *Der Katholizismus - Sein Sturz und Werde* (Lipsiae, 1937), p. 234: “Müsste die Kirche nicht wie ein guter Hirt dem ‘verlorenen Schaf’, für das sie den verhehlchten Priester hält, nachgehen, anstatt ihn im Kirchenbann leben und ohne Sakramente leben zu lassen?”. Cfr. H. MULERT (ed.), *Der Katholizismus der Zukunft* (Lipsiae, 1940), pp. 100 sq.

¹⁷ J. A. ABBO, “The Roman Synod”, *The Jurist*, XXI (1961), pp. 170-203.

¹⁸ Art. 35. - § 1. Sacerdotes censura aliave poena innodati, quamvis forte infeliciter ab Ecclesia sancta defecerint, numquam Domini misericordiae et ecclesiasticorum Superiorum pietati humanitatique confidere cessent. - § 2. Ceteri autem sacerdotes, praesertim vero qui cum iis amicitia coniuncti sunt, superna caritate moti sedulo enitantur, ut in eorum animis eiusmodi fiducia foveant. - § 3. Erga omnes infelices, qui in defectione perseverant, ea semper norma servetur, quae Pio XI maxime in usu fuit: “Quo minus de Deo cum hominibus loqui possumus, eo magis oportet nos loqui de hominibus cum Deo”. In huiusmodi etiam rerum adiunctis, sane miseris, nemini neque amica alloquia, neque solacia in adversitatibus, neque temporalia, si opus fuerit, subsidia denegentur.

bus misericordiae temperando, resolvat hanc quaestionem quae communitatem christianam tanta afficiat tristitia. Numerus sacerdotum in conditione tam misera degentium, quamvis - eheu - nulla statistica stabilitus, in praesentia certe non est parvi pendendus. Multi sunt pastorum qui, humana fragilitate devicti vel passionis impetu obcaecati vel forsitan minis irresistibilibus territi, a tramite lucis aberraverint suaeque in Ecclesia munera misere reliquerint. Minime quidem infitiamur quin de quaestione solutu difficili, nodis plena tamque delicata agatur ut quidam, desperato auxilio, rem integram relinquendam esse censeant. Alii tamen, quamvis de natura eius conscii, etiam quaestionem istam resolvi posse *rentur* haud dissimulantes adiuncta praesentia. De sacerdotibus qui matrimonium attentaverint sermonem facimus. Sed haud modo de iis. Neque vigentem evertere disciplinam, quae sacerdotes sacris functionibus addictos ad servandam castitatem astringat, contendimus eiusque relaxationi ne minime quidem favemus". (Loco isto egregius Auctor dispensationes generales sacerdotibus concubinariis a Iulio Pp. III anno 1554 et a Pio Pp. VII anno 1801 concessas in exemplum affert). "Huius generis dispensationes, ad modum exceptionis, ex gravibus publicisque causis elargitae fuerunt. Ratio boni publici hodie non absolute requiritur; cfr. Coronata, De Matrimonio (Romae, 1946), n. 364. Haec insuper conditio (publica scilicet ratio) verificaretur sicubi ope huius generis dispensationum sacerdotes indigni vitamque scandalosam agentes promptius faciliusque ab exercendo sacro ministerio removeri possent. Etiam sacerdotibus qui ab Ecclesia defecissent multum succurreretur ut iterum membra digna bonumque exemplum praebentia Mystici Corporis fieri, scandalum reparare, vitam suam supernaturalem restauratam promovendo bono spirituali universae Christianitatis communi addere possent"¹⁹.

¹⁹ *Loc. cit.*, pp. 199 sq.: "A consideration of this statute, so deeply imbued with the spirit of Christ, the Good Shepherd, raises the reverent hope that Pope John XXIII, blending again the rights of justice with reasons of benignity, will find a way to solve a problem sorely afflicting the Christian community. Today, the number of priests in such a pitiful condition, while unfortunately not statistically compiled, is certainly not negligible. In their frailty, probably in a moment of blinding passion or under seemingly unbearable pressure, many shepherds have been lost in the mist and tragically strayed from their office in the Church. There is no denying that this problem is extremely difficult, complex, delicate. Some would say it is almost hopeless from a strictly human point of view and let it go at that. But others, while realizing its involved nature, feel that it may possible realistically to come to grips with it, without completely disregarding existing situations". (Addit nota 115): "The writer speaks here of priests who have attempted marriage. But not only of them. No relaxing of the present discipline concerning the obligation of chastity for priests allowed the exercise of sacred functions is here even remotely intended or ever so slightly favored... Such exceptional dispensations were granted for a grave reason of a public character. Today, the ratio boni publici is not always required; cf Coronata. De Matrimonio (Rome, 1946), n. 364. It may be added that this condition (a reason of public character) would be met whenever unworthy and scandalous priests would be more promptly and more easily removed from the exercise of the sacred ministry be means if similar dispensations; or, if the priests have already abandoned their place in the Church, whenever they would be greatly helped to become again worthy and exemplary members of the Mystical Body, repair scandal, and add their restored supernatural life to the promotion of the common spiritual good of the entire Christian community".

Cl. mus J. A. Abbo, ni fallimur, fieri postulat ut a Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnanti praxis Sedis Apostolicae hucusque stricte observata mutetur, sacerdotes ab ordine presbyteratus apostatae ad matrimonium canonicum admittantur, alii delictis contra virtutem castitatis illaqueati a lege s. coelibatus dispensentur. Etsi haud dubitemus quin bona fide veraque caritate fraterna inductus haec proposuerit, nihilominus persuasum habemus quod plura graviaque adversus cl. mi illius Viri optatum militent argumenta.

1. Ad *mentem Legislatoris* quod attinet, SS. D. N. Joannes Pp. XXIII, quem Deus Omnipotens diu sospitem servet, hisce verbis ad clerum romanum in ipsa Prima Synodo Romana die 26 januarii 1960 factis animum suum aperuit: "Nostis, quid dies Nostros crebro et acerrime contristat? Gemitus est, qui e propinquo et e longinquo, a Romana scilicet Urbe et e variis orbis terrarum locis ad Nos pervenit, gemitus scilicet sacerdotum, quibus cor et caro simul terrestre iter percurrentia, etiam in parum evigilata perfuntione sacri muneris, magnum detrimentum attulerunt, atque coram Deo et Ecclesia et ante oculos fidelium dedecus itemque acutas et acerbissimas aegritudines pepere-runt. *Cum primis moeremus quod*, ad amissi sui decoris particulam reparandam, *nonnulli, allucinationi cuidam indulgentes, putant Ecclesiam catholicam velle aut opportunum ducere ab ecclesiastici coelibatus lege desistere*"²⁰.

2. Cl. mus Auctor supra laudatus *numerum* quoque *sacerdotum concubinariorum* allegat atque de eo dolet quod is nulla statistica notus sit. Sacerdos quidam romanus omni exceptione maior nos certiores fecit 3000 vel fere sacerdotes apostatas per universam Italiam nunc degere quorum numerus quinas centesimas partes (5 %) omnium sacerdotum sive saecularium sive religiosorum ibidem sacro munere fungentium constituat²¹. Ast multo maior est numerus illorum fidelium qui alias Ecclesiae leges pertinaciter violent! In archidioecesi Vindobonensi (Wien, Austria) anno 1960 ne tertia quidem catholicorum pars praeceptis sive diebus dominicis festisque missae sacrificio assistendi sive s. communionem tempore paschali sumendi satisfacit; 28 % tantum praeceptum paschale, 23 % obligationem missae diebus dominicis festisque assistendi observavit!²² Si numerus leges violentium respiciendus esset, permulti canones abrogari deberent. Ait ad rem Pallavicinus: "Quod autem haec obligatio [sc. s. coelibatus] materiam postea

²⁰ *Acta Apostolicae Sedis*, LII (1960), p. 226.—Cfr. etiam: *Prima Romana Synodus a. D. MDCCCLX* (Civitas Vaticana, 1961), pp. 375 sq.

²¹ C. FALCONI, *op. cit.*, p. 233 asserit numerum illorum, re vera, esse 6000 vel 7000, seu denas centesimas partes (10 %) sacerdotum munere fungentium constituere. Cum tamen et ipse illis adnumerandus sit de quibus librum suum scripsit, aegre fidem merebitur.

²² *Der Fischer Weltalmanach 1961*, pp. 132 sq.

praebeat ad multa peccandum, valde frivolum obiectum est et cunctis prohibitionibus divinis humanisque commune²³.

3. Admissio sacerdotum concubinariorum ad connubia canonica quam cl.mus Auctor fieri contendit, si nostram aperire licet sententiam, ob *rationes iuridicas* quoque impossibilis videtur. Etenim obiectum formale "quo" dispensationum a s. coelibatus lege sacerdotibus concubinariis concedendarum nihil aliud foret quam delictum ab ipsis commissum, sive attentatio matrimonii uti aiunt civilis sive gravis externaque legis s. coelibatus ultro susceptae violatio, cum cl.mus J. A. Abbo —prout ex supra citatis videre est— eos dumtaxat sacerdotes a lege continentiae dispensandos esse proponeret qui (a.) matrimonium uti aiunt civile attentavissent eosque qui (b.) vitam scandalosam agerent. In utroque casu dispensatio delictum quoddam, tamquam conditionem sine qua non concederetur, praesupponeret.

4. Quam difficultatem sane evitaret qui dispensationem in eum finem, ne sacerdotes carnis tentationibus cruciati peccata delictave incontinentiae committerent, etiam citra casus a cl.mo J. A. Abbo prae oculis habitos elargiendam esse censeret. At "Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdim". Tunc enim aliae exurgerent *difficultates ordinis psychologici*, eaeque gravissimae. Recte enim cl.mus Ae. Jombart enuntiavit "legem s. coelibatus plenum haud sortiri vigorem nisi spe dispensationem obtinendi destituta sit"²⁴. Fragilitas humana impetuosaque passio a cl.mo J. A. allegatae possibilitate dispensatum iri aletur magis quam sanarentur. Multiplicarentur etiam minae quibus mulieres a sacerdotibus, eheu, seductae illos ad contrahendum matrimonium impellere conantur. Quo pacto periculum incontinentiae sacerdotum possibilitate a s. coelibatus lege dispensatum iri augetur magis quam minueretur, quod certe minime fuit in votis egregii illius Viri. Scopus dispensationis vix in eo reponendus est ut relaxatione legis in casibus particularibus lex ipsa pedetentim labefactetur.

5. Demum dispensationes ab egregio Auctore illo postulas *utilitate etiam carere* censemus. Ultima et enim causa miserrimos de quibus sermo sacerdotes ad apostasiam ab ordine presbyteratus movens haudquaquam in difficultate continentiam religiose illibateque servandi reposita est. Concupiscentia carnis in viro adulto sanaeque mentis non existit nisi cum amore huius praecise mulieris coniuncta. Quam vero sacerdos non adamabit nisi prius amorem erga Christum historicum,

²³ Sf. PALLAVICINUS, *Vera Concilii Tridentini Historia*, lib. 24, ep. 12, n. 9 (ed. Antverpiae, 1670, vol. III, p. 886).

²⁴ E. JOMBART, "Célibat des Clercs", *Dictionnaire de Droit Canonique*, vol. III (Parisii, 1942), col. 143.

eucharisticum mysticumque perdidit, quod ut contingat eum fidem amisisse oportebit. Non instinctus sexualis, sed lumen fidei extinctum causa apostasiarum sacerdotalium est²⁵. Ast a lege divina credendi nulla humana auctoritas quemquam dispensare, nullumque matrimonium cuiquam sacerdoti incredulo fidem amissam reddere valet.

6. Proposito cl.mi *J. A. Abbo* forsán illectus, cl.mus *P. V. Schurr* C. Ss. R., Germanus, de optatis quae animarum pastores futuro Concilio Oecumenico submittunt disserens²⁶, item a lege s. coelibatus dispensatum iri flagitat. Haec ille cl.mus Vir ad rem exponit: "In quibusdam casibus reductio ad statum laicalem, dispensatione a voto castitatis minime exclusa, concedi deberet, praesertim quotiescumque de gravibus iuris naturalis obligationibus erga mulierem filiosque agatur"²⁷. Quam periculosum sit argumentum eius generis, probatione non indiget. An iure naturali requiritur ut mulier cum sacerdote apostata in concubinato sacrilego vivens debitum coniugale ab eo petere eique reddere possit? Nobis, e contra, magis de iure naturae requiri, videtur, ne quisquam ex malitia sua commodum reportet! Quodsi mulier ignoraverit virum quocum contraxerit sacerdotem esse, qui casus certe rarissime eveniet, dispensationem obtineri posse iam supra diximus. De filiis filiabusque, ex commercio sacrilego ortis, iure utique naturae parentes obligantur ut earum educationem omnimodam curent et etiam earum temporali bono provideant (can. 1.113). At si haec obligatio, iure naturae, individuam vitae consuetudinem parentum includeret, separatio tori, mensae, habitationisque (can. 1.128 sqq.) item iuri naturali repugnaret! An Ecclesia separationem coniugum ex gravibus iustisve causis concedens ius naturale laedit? Ita cl.mus *P. V. Schurr* egregie fallitur legem s. coelibatus ad ius naturale allegando labefactari posse autumans.

Dr ALEXANDER SZENTIRMAI

²⁵ Quod libris a sacerdotibus apostatis in lucem editis quoque confirmatur. Praeter C. FALCONI iam citatum vide: A. HOUTIN, *La Crise du Clergé* (Parisiis, 1907).

²⁶ V. SCHURR (C.Ss.R.), Pastorelle Wünsche an das Konzil, in: *Lebendige Seelsorge* XII (1961), pp. 187-196.

²⁷ Loc. cit., p. 192: "In manchen Fällen mü te öfters die Zurückführung in den Laienstand, selbst mit Dispens vom Gelübde der Keuschheit, vorgenommen werden, besonders wenn schwere Verpflichtungen des Naturrechtes (gegenüber einer Frau oder Kindern) vorliegen".